

PRÆFATIO

A D

LECTOREM.



SAPIENTISSIMO Rege jam olim conquerente, Facienti plures libros nullus est finis, Ecclesiastæ 12. mirabitur non nemo, quæ cogitatio menti meæ infederit, ut librum hunc evulgare voluerim, & non potius labori, qui profectò magnus ac diuturnus esse debuit, pepercerim; maxime cum præclarissimorum & excellentissimorum Theologorum iisdem de rebus Commentarij non desint, & ij undequaque doctissimi.

Sed pone, quæso, admirationem quisquis is es. Non libros novos cudo, led veteres explico: Et, si novè dicam, non dico nova; imò nec libros (si veritatem spectes) multiplico.

Moris est Scripturarum (ait B. Hieronymus in Ecclesiasten commentans) quamvis plures libros, si inter se non discrepent, & de eadem re scribantur, unum volumen dicere. Iuxta hunc igitur sensum arbitror nunc præceptum ne plures libri fiant, (qui nimirum quoad virtutem discrepent.) Quidquid enim dixeris, si ad eum referatur qui in principio erat apud Deum, & Deus erat verbum, unum volumen est: & innumerabiles libri, una lex, unum Evangelium nominantur. Quod si diversa & discrepantia disputaveris, & curiositate nimia huc atque illuc animum deduxeris, etiam in uno libro multi sunt libri.

Quibus subscribens Franciscus Titelm. Non simpliciter (ait) voluit Ecclesiastes ne quicquam adderetur ijs quæ tum scripta erant: Alioqui, quid omnes Prophetarum libri posterius adjecti? Quid Evangelia & sanctæ Apoltoiorum literæ postea subsecutæ.

Sed nec quorumlibet aliorum librorum damnat multitudinem: nunquid enim Sanctorum Hieronymi, Ambrosij, Augustini, Gregorij, Chrylostomi, Thomæ, Bonaventuræ, & aliorum à scientia pariter ac sanctitate celebrium elucubrations superfluæ.

Imò nec cæterorum, quos Ecclesia beatorum albo non ascripsit, libros repudiari vult, nisi fortè rejectitia sint quæ à Petro Lombardo, magistro sententiarum nuncupato, quæ à Scoto, Durando, Gabriele, Altusiodorensi, Dionysio Richel, Baronio, Bellarmino, & ab alijs longa serie sibi succedentibus, vel coævis utilissima prodire volumina.

Sapientem equidem multos libros non esse reor, qui unum docent, qui unam veritatem eandemque virtutem explicant & interpretantur. Et propterea, si qui ut ad justitiam erudiant multos; ut sapientiam quæ desultum est elucident, ut hæreticorum dogmata convellant, ut quæ vera sunt, aperiant & confirmant: conscribendis libris incumbunt, tantum abest ut reprehensionis notam incurrant; quin potius Sapientia ipsa spondente Ecclesi. 24. Qui elucidant me, vitam æternam habent, aureolam Doctoribus repositam expectare possint.

Cæterum, quid præsentis voluminis editionem mihi non suaserit modò, sed & persuaserit; ex prius editis utrumque potest intelligi.

Dudum in votis mihi fuit, integram B. Thomæ Summam Theologicam, (quam ab annis quinque & triginta nosse & evolvere cœpi) posse commentarijs illustrare, & illustratam in lucem mittere. & hæcenus quidem Primam, Tertiam, & eam quæ Secunda Secundæ nuncupatur, partes quamvis non ut debui, certè ut

Daniel
12.